



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die XXIII. Julii. In Festo Sancti Liborii Episcopi, et
Confessoris**

[Paderborn], ca. 1793

In I. Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60433)

Subtrahens illos Sathanae furori,
Sancte Libori,

Post, ubi caelum fueras adeptus,
Et Beatorum gremio receptus,
Paderae tellus tenuit refossa
Corporis ossa.

Hic in electa Statione, dignis
Te Deus fecit radiare signis:
Hic dabis aegris ope destitutis,
Dona salutis.

Saepe tunc surdis patuit medela,
Saepe tunc mutis rediit loquela,
Saepe tunc coecus stupuit refusum
Luminis usum.

Imo jam tristi prope morte functi,
Aut in extremis oleo peruncti,
Hic receperunt rediviva tritae
Munera vitae.

Sis, precor, nobis, Deus alme, praesto:
Cumque de vivis rapiemur, esto
Praemium nobis, animaeque munus,
Trinus, et unus. Amen.

*Psalmi, et Versic. (nec non et Responso-
ria Horarum) ex Communi Confessoris
Pontificis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. 1. Liborius ab infantia Deum ti-
mere coepit, et virtutum praestantia
semper deinceps crevit.

Ant. 2. In disciplina Domini hic permanens assidue, mox dicat ejus nomini Hostiam sanctam quotidie.

Ant. 3. Postquam vir Dei Pavacius ad caelum fuit evector, in loco suo Liborius voce una fuit electus.

De Libro Ecclesiastici. Cap. 50.

Lectio I.

Ecce Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsi domum, et in diebus suis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex aedificatio, et excelsi parietes templi. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, et quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione. Qui praevaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis: et ingressum domus, et atrii amplificavit. Tu autem, Domine.

R. 1. Liborius ab infantia sua semper Deum timuit, mandata ejus custodivit,
* Et immobilis in ejus timore permansit.

V. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Et immobilis.

Lectio II.

Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet. Et

quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi lilia quae sunt in transitu aquae, et quasi thus redolens in diebus aestatis. Quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. Quasi oliva pululans, et cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriae, et vestiri eum in consummationem virtutis. In ascensu altaris sancti gloriam dedit Sanctitatis amictum. In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, et ipse stans juxta aram. Tu autem.

R. 2. Obtulit holocaustum Domino, et clamavit ad Dominum pro Israel, * Et exaudivit eum Dominus.

V. Immolavit Deo sacrificium laudis, et reddidit Altissimo vota sua. Et exaudivit.

De Epist. B. Pauli Apost.
ad Hebraeos. Cap. 5.

Lectio III.

Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate:

et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech. Tu autem.

R. 3. Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum, * Et praecepit ei, ut esset dux * Super populum suum.

V. Quemcumque elegerit Dominus, ipse erit sanctus. Et praecepit.

Gloria Patri. Super populum suum.